



1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

DISPUTATIO DUODECIMA
EX EPISTOLA PAV-
LI AD ROMANOS, PRO-
PONENS ἀνάκλησις CAP. X,
Cujus positiones, divina adju-
vante gratia,

PRÆSIDE DAVIDE RVNGIO,
S. Theologia Doctore & Professore in Academia
VVitebergensi, in collegio disputationum
Theologicarum privato defen-
det, 2 Octobris,

BERNARDUS VVOLDERUS
Rostochiensis.



VVITEBERGÆ
Excusa typis Simonis Gronenbergii, 1596.

REVERENDO, CLARISSIMO,
ET DE ECCLESIA DEI, DE QVE
linguæ sanctæ studiosis bene merito, benèque
merenti viro Dn. M. DAVIDI VVOLDERO,
verbi divini in Ecclesia, quæ est Hamburgi ad
D. Petrum, ministro vigilantissimo, pa-
trueli suo, omni observantiæ cul-
tu prosequendo.

AMPLISSIMIS, PRVDENTIS-
SIS MISQVE VIRIS, Dn. HENRICO GV-
SEBERO, Dn. IOACHIMO à VVEDIGEN,
*inclytæ Politie Rostochiensium Senatori-
bus dignissimis, lectiss.*

Dn. HENRICO SVLTMANNO,
Dn. IOACHIMO SCHVLTE TO, ejusdem
Reip. civibus optimis, Ecclesiæque Marianæ
juratis fidelissimis,

*Dominis Mecenatibus suis magnis, ac fauoribus benevolis positiones
hasce Theologicas debite pietatis, observantiæ & gratitudinis
ergò demissè offerre, & pie nuncupare voluit,
debuit*

BERNHARDUS VVOLDERUS,
Rostochiensis.

CAPVT DECIMVM.



Via sub finem capitis præcedentis dixerat Apostolus, Iudæos ideo rejectos esse à Deo, quòd sectarentur Legem justitiæ: poterat sanè hoc ipsum lectori dubitatione inijcere, qua nimirum ratione studiũ justitiæ Iudæis cedere potuerit in detrimentum, & attrahere interitus causam. Deinceps igitur Apostolus declarat causam hanc paulò uberiùs, ostendens Zelum Iudaicum sectandæ justitiæ *ψευδώνυμον* esse, carentem scientia & vera Christi agnitione. Qua occasione discrimen Iustitiæ legalis & Euangelicæ egregiè illustrat, & unde sit fides, & quare Iudæi prædicationi Euangelij obedire noluerint, edisserit. Hæc quatuor membra breviter pro instituti ratione discutiemus.

Partitio capitis.
1.
2.
3.
4.

Prima pars capitis.

Dicturus de Iudæorum Zelo in sectanda Iustitia exordium præmittit, quo iterum removeret à se sinistra suspensionem odii in Iudæos persecutores suos concepti, perinde uti sub initium capitis noni factitavit. Testatur itaque amorem suum seu *εὐδοκίαν* erga gentem Iudaicam, quam honorifico nomine filiorum Israël appellat, duobus documentis: Nam & orare se pro Israëlitis, ut salventur, & Zelum aliquem in religionis negotio ipsis tribuere fatetur. Per antithesin autem declarat, quid isti Zelo justitiæ desit, nimirum *ἐπιγνώσις*, h. e. salutaris agnitione veri fundamenti, quod est Christus Iesus Salvator noster. Hoc per *ἐπεξήγησιν* declarat, repetens sententiam capite præcedenti v. 31 positam, aliis verbis: Ignorantes enim Iudæi justitiam Dei, & propriam justitiam conantes stabilire, justitiæ Dei non sunt subiecti. Iustitia Dei hoc loco non intelligitur, qua ipse justus est, nec ea, quæ in lege est patefacta: Sed justitia, qua peccator reus, poenitentiam agens, coram Deo justificatur, & in iudicio Dei subsistit, nimirum gratuita remissio peccati, & imputatio Iustitiæ & obedientiæ Christi. Conatus justitiæ propriæ non tantum significat studium justitiæ hominum non re-natorum, ut Aristidis, Scipionis etc, Sed quia de Iudæis agitur cir-cumci-

Iustitia Dei.
Iustitia propria.

cumcisis et in populum Dei cooptatis, significat omnem istum conatum, quo per externa opera obedientiae secundum Legem Dei, nec non per circumcisionem, sacrificia, eleemosynas, decimas, aliâque secundum moralem & ceremoniam legem facta, Iudæi justitiam sollicitè sectabantur. Hoc enim significat *δίκην* Rom. 9. v. 30. Et huc accedebat in illis altera ignorantiae pars, quòd hanc qualemcunque justitiam operum volebant *σῆμα*, h. e. stabilire in iudicio Dei. Est enim verbum forense notans firmamenta rei, quibus reus causam suam in iudicio tuetur contra adversarium. Ita Iudæi, accusati à Deo propter peccatum, opponunt illius iudicio suam propriam justitiam, perinde ac si coram tribunali Dei ea consistere queat.

*Fiducia
propriae iu-
stitiae.*

De Zelo in negotio religionis.

I.

Zelum religionis vocat Scriptura vehementem animi motum atque impetum conceptum ab aliquo, in rebus ad cultum divinum, ejusque debitam reverentiam spectantibus, tum ut pietatis vel alia de causa promoveat ea, quæ gloriæ Dei servire, tum ut impediât & vindicet, quæ ei adversari arbitratur.

II.

Affectus huius proprietatem monstrat origo nominis. *Ζέειν* enim fervere seu æstuare & ebullire significat, quasi animus æstuans religionis amore bulliat, & in dicta aut facta, motum istum indicantia, prorumpat. Ac videtur Oseas talem animi æstum describere cap. 7. v. 4. Sacerdotes Baalitici ardent religionis studio, ut clibanus accensus à pistore. Ut enim pistor rota nocte quiescit, donec massa fermentetur, & manè succendit clibanum: ita Sacerdotes (perinde ut sacrificuli Papistici) noctu indulgent adulteriis & poculis: Manè singulari ardore sacrificant.

*Ardor ani-
mi in Pro-
pheta de-
pictus.*

III.

Hebræi vocant *Kinahà* Kana, quod significat æmulari & zelo duci, vel in bonum & favoris causa, dum rem nobis charam omnibus modis tueri studemus; vel in malum, dum alteri invidemus id, quod nobis peculiare esse volumus, Tribuiturque tam Deo, quam hominibus.

*Duplex
Zelus.*

IV.

Duplicem Zelum hominum in causa religionis agnoscit Scriptura

ptura pium & impium. Neque enim quicquid Zelo religionis
cujuscunque sit, rectè factum videri debet, cum sæpe hoc velami-
ne impiæ hominum tenebræ & cupiditates tegantur.

V.

Ac quia duo sunt in Zelo, notitia in mente & affectus animi,
aut in alterutro horum est vitium, aut in utroque.

VI.

Notitia religionis alia est vera & certa, alia κατὰ δόξαν, quæ
habetur quidem pro vera, cum sit falsa & incerta. Ex tali notitia *Iudaorum*
nascitur Zelus, quem hoc loco, quoad affectionem, *Zelus ca-*
non simulatum esse, nihilque spectare aliud, quam religionis amo- *ret scien-*
rem, interim verò destitui ἐπιγνώσει & salutari agnitione veritatis *tia.*
divinæ, Apostolus testatur: Talis in ipso Paulo, nondum converso, *Phil. 3. v. 6.*
fuit.

VII.

Affectus verò vitiatus Zelum quoque inficit, etiamsi veritate
doctrinæ cœlestis nitatur: Sæpe enim aliqui amplectuntur & de-
fendunt Evangelium cum Zelo, non veritatis studio & amore, sed
lucris, honorum, licentiæ vel æmulationis causa, uti de Pseudodo-
ctoribus conqueritur Apostolus Philip. 1. v. 16. & 3. v. 9. Ac me-
tuendum est, ne multi non veritatis amore, sed cupiditate honorum
Ecclesiasticorum occupandorum illecti ab Antichristo Romano se-
cessionem nostro seculo fecerint.

VIII.

Pessimus autem Zelus est, ubi utriusque partis vitium occur-
rit: Cum videlicet pugnatur pro mendacio asserendo ac propa-
gando, & simul non spectatur doctrina ipsa, sed autoritas, fama,
gloria, opes, cupiditas vindictæ, aliæque affectuum monstra ani-
mum hominis occupant,

IX.

Talis est Pontificum Zelus, ardentium odio Christi & A-
postolorum Act. 5. v. 33. & 13. v. 45. Et hujus generis est Zelus *Zelus*
Antichristi Romani & satellitum ejus, qui prætextu religionis & *Papæ*
veritatis utrumque agunt: Mendacia & idola stabiliunt, & tyran-
nidem & lucrum quærunt.

X.

Ad eandem classem etiam Carolo-stadii Iconoclastæ Zelus
referendus est, qui mera æmulatione adversus Lutherum accensus

res novas tentare, statuas demoliri, & contra simplicem verborum
cœnæ Dominicæ sententiam differere cœpit: Cuius $\rho\eta\lambda\omicron\upsilon\varsigma$ $\acute{\alpha}\rho\eta\lambda\omicron\upsilon\varsigma$ &
 $\psi\epsilon\upsilon\delta\acute{\omega}\nu\mu\omicron\upsilon\varsigma$ imitati sunt Zvinglius, gladiator Helvetius, Munzerus,
Storck, Suenckfeldius, Calvinus et tota istius Synagogæ colluvies.

XI.

Huc quoque referendi sunt hi, qui titulo & autoritate D.
Lutheri & Augustanæ confessionis Magistratum & subditos veteri
Crypto Cal ratoriè deludentes ipsissimum Calvinismum in omnibus doctrinæ
vinistarum partibus Ecclesiis orthodoxis obtrudunt, & cum profana audacia
Zelus. in pervertendis Iesu Christi verbis Eucharisticis utantur: interim
magna pietatis simulatione circa adiaphora occupati sunt, dum in
templis neque altaria, nec imagines, minimè idolatricas, uti
nec usitatum morem distribuendi panis Domini in cœna ferre pos-
Ose. 7. v. 4. sunt, sed quasi clibanus accensus Zelo ardentes, altaria evertunt,
imagines eruunt, & placentas in frustra discerptas communican-
tibus in manus tradunt, atque ita culicem colantes camelum de-
glutiunt.

XII.

Tales $\psi\epsilon\upsilon\delta\acute{\omega}\rho\eta\lambda\omicron\iota$ vel $\kappa\alpha\kappa\acute{\omicron}\rho\eta\lambda\omicron\iota$ olim erant Pseudoprophetæ
in populo Dei, quibus nemo vehementiùs & veris Dei Prophetis
Patriar- se opposuit, ut Sedecias cornua ferrea gestans, & Micheam percu-
che Zvin- tiens 3 Reg. 22 v. 11. Hananias contradicens Ieremiæ & confrin-
gliani Zeli. gens jugum, quod Ieremias gestabat, Ierem. 28 v. 10. Amasias
Sacerdos in Bethel contradicens Prophetæ Amos, Am. 8. v. 10.

XIII.

Est & alia species Zeli, qui ratione fundamenti quidem lau-
dandus est, cum pro Christo & veritate doctrinæ cœlestis suscipi-
atur, at ratione effectus non item, cum nimio amore feratur extra
metas vel officii vel charitatis Christianæ. Talis cernitur in Apo-
Zelus in- stolis, volentibus igne cœlitus demisso Samaritanos non obedien-
discretus. tes Euangelio evertere, Luc. 9. v. 54. In Iona, qui mavult Nini-
ven perire, quàm non videri verus vates, Ion. 3. In Iosua volente
duos, qui in castris remanserant & Spiritu Domini erant impleti,
prohibere, ne prophetarent, Num. 11 v. 28.

XIV.

In primis vero huius indiscreti Zeli exemplum cernitur in
Petro, qui cum audiret Christum de passione sua vaticinantem,
amore eius accensus dissuadere illi tale propositum conatur, Matt.

16. v. 21. Cùmque eum comprehendi cerneret, gladio arrepto irruit in militum cohortem Matth. 26. v. 51.

XV.

Non sunt igitur talia dicta vel facta, quæ pro veritatis quædam defensione usurpantur, sed metas vocationis & charitatis fraternæ limites transcendunt prætextu Zeli defendenda vel excusanda. Dominus enim ejusmodi Zelum indiscretum gravissimè redarguit in Iona, Petro & reliquis discipulis.

XVI.

Ex dictis patet, quænam sit norma judicandi de Zelo: Respectu ἐπιγνώσεως enim sola vox divina, in Lege & Evangelio præfacta, est norma iudicii in dogmatibus, dictis & factis hominum, secundum quam Deus ipse Orbem terrarum est iudicaturus Rom. 2.

XVII.

Ratione effectus est ponderanda partim cujuslibet vocatio, quæ enim contra vocationem sunt prætextu Zeli, meræ sunt præstigiæ fanaticorum hominum & Enthusiatarum. Partim charitas Christiana, quæ frenare debet impetum animi, ne prætextu dilectionis erga Deum peccet in dilectionem erga proximum, cùm secundum mandatum de proximo diligendo simile sit primo.

Enthusiatarum Zelus.
Matth. 22

XVIII.

Talis igitur Zelus, qui veritate & vocatione nititur & consistit intra metas charitatis, laudem meretur. Est q̄ duplex: Vulgaris & heroicus: ille moderatori; hic vehementiori impetu fertur, ac plerunque cum vocatione extraordinaria seu immediata est conjunctus: Cujus exempla sunt, Moses confringens tabulas Decalogi: Christus ejiciens venditores è templo, multique pii Reges, Principes, Prophetæ ac Apostoli, David, Ezechias, Iosias, Eldras, Nehemias, Iohannes Baptista, Stephanus, etc.

Zelus heroicus.

XIX.

Ad hanc classem quoque referimus ferventem Zelum D. Lutheri, divinitus excitati, non modò ut Antichristum revelaret. 2 Tess. 2. sed etiam ut Pseudodoctoribus, Anabaptistis, Sacramentariis, Antinomis, aliisque magna Spiritus παρρησίας contradiceret.

XX.

Inepti porrò sunt, qui ambitione ac stulta κακοζηλία imitari Zelus.

Ineptus tari Zelus.

tari volunt eorum dicta vel facta, quorum non habent dona aut mensuram Spiritus, aut vocationem. Valet enim hoc loco etiam illud: Duo cum faciunt idem, non est idem, non quod alia res sit, sed quod is, qui facit.

XXI.

Neque tamen interim eorum sive politica sapientia, sive amor Mundi commendationem meretur, qui cum ratione vocationis deberent, ratione doctrinae ac donorum possent adversariis contradicere, malunt consulere otio, quieti, ac ventri, & velificantes laudi suae, dici moderati, sapientes & docti, quam diabolum & organa ejus irritando ὑπὲς ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ ἀτιμαδοῦναι cum Apostolis, Act. 5. v. 42.

Secunda pars Capitis decimi.

Facta mentione duplicis justitiae, Legalis & Evangelicae, quarum illam Iudaei indiscreto Zelo sectantes, huic subiecti non sunt: deinceps Apostolus quasi ex superiori tractatione de justificatione hominis coram Deo repetit corollarii loco discrimen utriusque justitiae. Offendebat Iudaeos Legis divinae autoritas, cui injuriam fieri arbitrabantur, si Evangelium amplectendo, Christo nomina darent. Ostendit igitur Paulus, haec duo doctrinarum non esse contraria, sed subalterna. Legis enim τέλος, hoc est, finis, seu perfectio Christus est ad salutem omni credenti, v. 4. partim, quia Lex ideo lata est, ut ad Christum nos deducat, monstrando imbecillitatem & corruptionem naturae & operum nostrorum, quo sensu & Pædagogus dicitur ad Christum, Gal. 3. v. 24. Partim vero, quia Christus perfectissima sua obedientia legi satisfecit: Atque hic sensus proprius est hujus loci, propositus per meronymiam causae pro effectu: Perfectio legis est obedientia Christi. Quomodo vero Christi obedientia fit nostra? Credendo. Quid confert fides? Iustitiam: Sic enim Paulus: Perfectio Legis Christus est, ad justitiam omni credenti. Habes hoc loco definitionem justitiae Evangelicae seu fidei, quod nimirum sit perfectissima Christi obedientia Legi divinae praestita & fide apprehensa. Iustitia vero Legis à Mose, Levit. 18. v. 5 sic definitur: Qui fecerit mandata Dei, vivet in eis: Haec est enim Legis divinae ratio, quod non nisi sub conditione perfectae obedientiae justitiam ac vitam promittat: In quam sententiam dictum est à Christo Luc. 10: Hoc

Christus est perfectio legis.

Iustitia Evangelicae definitio. Iustitia Legis.

Hoc fac & vives, & Matth. 19. Si vis in vitam ingredi serva mandata. Vtrum verò ea justitiæ consequendæ ratio possibilis sit, an non: hoc loco non repetit Apostolus, contentus iis, quæ suprâ cap. 8. v. 3. dixerat, quòd Legi impossibile sit quenquam justificare, cum sit infirmata per carnem.

Objicerent verò Iudæi, Mosen certè veritatis præconem annunciâsse populo Israël omne consilium Dei, nec voluisse inanibus terriculamentis Legis ἀδυνάτως ludificari homines, ipsum verò normam hanc justitiæ per Christum consequendæ omnino ignorare. Respondet Apostolus: Minimè gentium: Sed etiam ea, quæ ex fide est justitia à Mose sic extat descripta Deut. 30 v. 12. *Justitiam fidei Moses descripsit.* Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? Hoc est Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? Hoc est Christum ex mortuis deducere. Quid verò dicit? Prope est tibi verbum in ore tuo & in corde tuo: Hoc est Verbum fidei, quod prædicamus.

Hæc verba Apostoli obscuriorem videntur ἐπιλυσιμὴν habere, eò quòd allegatio Apostolica à sensu verborum Mosis planè videatur aliena. Moses enim Deut. 30. commendat Israëlitis studium doctrinæ à se traditæ, quæ principaliter Legem tribus generibus distinctam complectebatur. Interim tamen Evangelii quoque promissionem de Messia, ejusque officio partim manifestis dictis, partim sacrificiorum umbris involutam continebat: Quo sensu aliqui judicant, dictum Mosis secundum interpretationem Pauli Evangelicum esse.

Sed expeditior ratio dubitationis tollendæ est, si verba & mentem Apostoli rectè intueamur: Patet enim, non directè hoc loco allegari testimonium Mosis, sed ὡς ἐν παροδῳ, dum Aposto-Paraphra-lus, interrupta verborum serie, subinde quædam suo instituto ac-*sis loci* commodata inserit: ut sit sensus verborum: Sanè Lex Dei requi-*Mosaici.* rit perfectam obedientiam, homini in hac vita impossibilem. At Evangelium non est talis doctrina, quæ impossibilia proponat, verum quod olim de sua doctrina Moses dixit, idem verè de Evangelio dixeris: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum, aut quis descendet in abyssum, videlicet ut veram justitiæ consequendæ rationem discat, si ea non est in Lege patefacta? Hoc est enim Christum, semel patefactum & ex mortuis resuscitatum, nunc in cœlesti gloria regnantem, cœlo deducere et inter mortuos denuo

B

quæ-

*Quomodo
verbum
Euange-
lii sit pro-
pe.* quærere, ut denuo & docendo illustret Euangelii doctrinam, jam
antè à se fideliter traditam, & iterata satisfactione patiendo ac mo-
riendo obedientiam Legi præstet. Propè est igitur verbum in ore
& corde tuo, nimirum ratione notitiæ, quia Christus id ex sinu
Patris enarravit, Ioh. 1. Ratione perfectionis: Quia idem semel
præstita obedientia Legi tam activa, quàm passiva, unica oblatione
consummavit in perpetuum sanctificandos, & ascendens in cœlum,
regnat in gloria æterni Patris: Perfectissima igitur illius obedi-
entia nullo operum nostrorum supplemento indiget. Ratione de-
nique impletionis seu possibilitatis: Idem enim Christus, qui vo-
cem Euangelii patefecit, & justitiam perfectam nobis acquisivit,
per prædicationem verbi sui Spiritus S. gratiam largitur, ut per
verbi auditum, fide in cordibus accensa, pii amplectantur promif-
sionem gratiæ, eaque iustificati confessionem edant fidei suæ, &
vitam consequantur æternam.

*Fruclus
iustitiæ
sunt con-
fessio &
invocatio.*

Hanc esse Pauli mentem, ostendunt sequentia verba, quibus
omnem salutis consequendæ rationem tam perfectè atque absolu-
tè à Christo constitutam ac partam esse docet, ut nihil à nobis re-
quiratur ampliùs, quàm ut fideli corde beneficia mortis & resur-
rectionis Christi amplectamur, eaque nobis applicemus, & grato
ore ac pectore liberè, sine ullo metu, confiteamur veritatem agni-
tam, & grata voce magnitudinem bonitatis & misericordiæ di-
vinæ, ac abyssum meritorum Christi prædicemus: Corde enim
creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. Et scriptura
dicit, Esaiæ 28. v. 26. Omnis, qui credit in eum, non pudebit.

Neque est in hac justitiæ & salutis consequendæ ratione
ulla distinctio hominum, respectu nationum & populorum; quasi
Græci quidem fide per Christum, Iudæi operibus per Legem sal-
ventur: sed idem est Dominus omnium, dives in omnes, largiter
distribuens misericordiæ suæ beneficia omnibus invocantibus se,
sicut dicitur Ioel. 2. v. 3. Omnis, qui invocaverit nomen Domini,
salvus erit.

De discrimine justitiæ Legis & Euangelii.

I.
Etsi superioribus disputationibus mediocri diligentia mon-
strata

strata est, tum Paulini textus sententia in tota disputatione de iustitia fidei, tum propria iustitiæ Evangelicæ natura & conditio; tamen occasione propositi textus, placet brevem ἀνακεφαλαίωσιν instituire, complectentem utriusque iustitiæ, Legalis & Evangelicæ, discrimen.

II.

Iustitia Legis hoc loco non significat jus ipsum Legis, vel congruentiam Legis cum norma æqui & iusti: Lex enim divina est ipsa iustitiæ regula, & æterna, immotâque sapientia Dei, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens omni contumaciæ. Sed iustitia Legis hoc loco μετῶνυμικῶς significat eam, quam Lex opere præstita iustitiam efficit, approbat, & remuneratur.

De significato vocis.

III.

Ita iustitia Evangelii non designat doctrinæ Evangelicæ in se consideratæ veritatem & æquitatem, cum ea sit Dei Patris æternum & arcanum consilium, mysterium ac decretum ex sinu eius per unigenitum filium prolatum, ac generi humano patefactum: Sed significat iustitiam eam, quam Evangelii vox in credentibus operatur.

*Job. 2.
Rom. 16.
Eph. 1.*

IV.

Consideratur autem iustitia Legalis in homine dupliciter: vel ratione sui absolutè, vel ratione hominum, ei operam dantium: Priori consideratione iustitia Legis laudem atque admirationem meretur, cum sit perfectissima conformitas omnium virium mentis, voluntatis & cordis, omniumque operationum internarum & externarum, cogitationum, sermonum, & actionum cum Lege Dei scripta.

*Talis fuit
Adami iustitia ante
lapsum.*

V.

Posteriori sensu iustitia legalis, vel iustitia operum malè audit in Scriptura: Significat enim qualemcunque obedientiam præstitam Legi, quoad externa opera, moralia & ceremonialia, conjunctam cū opinione perfectæ ejus impletionis, & fiducia iustitiæ coram Deo valentis.

VI.

Hanc vocat Paulus ἰδία πρὸς νόμον, hoc est, viribus humanis propriam, & propria opinione sine mandato & verbo Dei pro iustitia vera venditam: Et hæc est ea, quam Iudæi voluerunt stabilire, eaque niti in iudicio Dei. Quamobrem eos veræ iustitiæ Lege excidisse, & veræ iustitiæ subjectos non esse, docet Apostolus.

*Propria iustitia.
Rom. 9.
10*

VII.

Atque idem de seipso affirmat, Phil. 3. v. 4. & seq. quod & propriæ justitiæ aliquando studiosus fuerit, eamque vocat τὴν ἐκ νόμου, eam, quæ ex lege est: Faterur enim, se omni conatu & ardenti Zelo sectatum fuisse eam rationem justitiæ, quam lex monstrat, sed nunc rectius edoctum eam, ceu ζῆμιαν & σκύβαλα, æstimare collatam cum Iustitia Christi.

VIII.

*Conatus
propriæ
iustitiæ co-
ram Deo
constituen-
da est inu-
tilis.*

Est igitur studium justitiæ operum in se bonum; ad justitiam verò eam, quæ coram Deo valet, conferenda omnino inutile: 1. quia imperfectum, cum legi perfectam præstare obedientiam sit impossibile, Rom. 8. 2. Quia alit opinionem propriæ justitiæ & sanctitatis, Rom. 9. v. 30. & 10 v. 3. 3. Quia evertit meritum Christi, Gal. 2. Si ex lege est Iustitia, frustra Christus mortuus est. 4. Quia tollit omnem certitudinem promissionis, & relinquit conscientias in perperua dubitatione, Rom. 5.

IX.

Iustitia Euangelii verò definitur hoc loco ab Apostolo, quod sit perfectissima Christi obedientia, legi præstita, ex mera gratia Dei nobis imputata & fide apprehensa.

X.

*Iustitia
Euangelii.* Diligenter notanda sunt duo hujus justitiæ Elogia in textu: Vocatur enim Iustitia Dei, v. 4. quia à Deo nobis est monstrata, ac generi humano præparata, & coram ipso sola valet. Iustitia fidei v. 6. quia non operibus paratur, sed oblata divinitus apprehenditur fide.

XI.

*Cor mun-
datur in-
iustitia fidei,
Esa. 64.* Sedes hujus Iustitiæ monstratur non in operibus manuum, non in lingua, sed in corde, quo creditur ad Iustitiam: Fides enim purificat corda, Act. 15. v. 10. Sola igitur hæc imputata justitia fidei, dei emundat non superficiem, sed intima quæque, adeoque ipsum cor hominis: Cum Iustitia legis tantum qualemcunque externorum operum munditiam operetur, eamque non in oculis Dei subsistentem, quibus justitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatus, sed tantum in oculos hominum incurrentem.

XII.

Est quoque hæc justitiæ ratio possibilis homini, cum Apostoli annuncient verbum fidei, Rom. 10. v. 8. Est communis omnibus

bus hominibus, Iudæis & Græcis, cùm idem sit omnium Dominus
dives in misericordia super omnes. Rom. 10. v. 12. Eph. 2. v. 4.

XIII.

Nec est justitia fidei otiosa speculatio aut imaginatio vel in-
anis præsumptio hæreticorum, ut nugantur Iesuitæ, sed est conjun-
cta cum vivifica consolatione Spiritus S. Rom. 5. Et parit fructus
admiratione stupendos, utilitate præstantissimos, quorum duos
recenset Paulus hoc loco, videlicet Confessionem & Invocatio-
nem.

*Fructus
justitiæ.*

XIV.

Frivolum est, quoddammodo Papistæ ex duobus hisce dictis: Corde
creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem: Omnis qui in-
vocaverit nomen Domini, salvus erit; bona opera fidei adjungi vo-
lunt in negotio justificationis & salutis. Perinde ut alii bonorum
operum necessitatem ad salutem urgentes, horum dictorum præ-
textu opera aliquam salutis nostræ vel conservandæ vel adjuvan-
dæ causam esse finxerunt.

XV.

Dextrè enim sententia Apostoli est accipienda: Cùm cap.
3. 4. & 5. omnem omnium operum respectum ex justificationis
articulo removerit: Proinde in priori dicto, quo fidei adjungitur
confessio, prius membrum de causa justificationis organica accipi-
endum est, posterius de signo, veritatem fidei testificante.

*Opera si-
gna & te-
stimonia
justitiæ
fidei.*

XVI.

In altero testimonio manifesta est depravatio Papistica, com-
mittens fallaciam causæ & plurium propositionum: Qui enim
sunt, qui spem consequendæ salutis habent, docet Propheta, nimi-
rum invocantes nomen Domini: At quare hi salvandi sint, alia est
quæstio: Contingit enim illis quoque gratis vita æterna, perinde
ut cæteris.

Corollaria.

1. Confessio in casu necessitatis non est in cujusvis arbitrio po-
sita, sed necessaria, Matth. 10. v. 32. 2 Tim. 2. v. 12. Psal.
116. v. 10.
2. In novo Testamento sublatum est gentium & nationum discri-
men, Religionem quod attinet.
3. Invocatio Dei est præcipuus ejus cultus, illique gratissimus.

B

3

Tertia

Tertia pars.

Unde sit
fides.

Suprà dictum est de Iustitia fidei, eiusque necessitate & præstantia & fructibus: meritò igitur quæritur, undenam sit fides, & quæ ratio ad eam perveniendi? Hanc quæstionem dilucidè explicat Apostolus, v. 17. Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei.

Ad hanc conclusionem verò accedit per gradus sumta ἀφορμῆς ejus, quod de invocatione verbis proximè præcedentibus dixerat.

V. 14. Quomodo invocabunt eum, in quem non credunt? Ratio quæsitæ manifesta est, quia invocatio oritur ex fide, eique tanquam fulcro innititur.

Gradatio
Paulina.

V. 14. Quomodo verò credent in eum, quem non audiverunt? Ratio quæsitæ est, quia fides ex auditu est, & cùm fidei prima pars sit notitia, eaque non naturalis, vel insita; necesse est ad fidem, in adultis accendendam, auditum verbi accedere.

V. 14. Quomodo audient sine prædicante? Non enim quis auditus & cujuslibet rei generat fidem, sed solius Evangelii.

V. 15. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quàm speciosi sunt pedes annunciantium pacem, annunciantium bona: Non est enim occupandum ministerium sine legitima vocatione.

Quare non
omnes au-
ditores cre-
dant Evan-
gelio.

Duo poterant hîc objicere Iudæi: Primò. Se quoque auditores fuisse Evangelii, neque tamen justificados, nec universale esse, omnes justificari, quicumque audiunt Evangelium. Respondet Apostolus per concessionem, addita vera causa defectus, quia videlicet non omnes obediunt Evangelio, teste Esaia cap. 53. Vnde nascitur συμπέρασμα quæsitæ principalis de origine fidei, eam videlicet esse ex auditu nimirum tali, qui est ex verbo Dei, & comitem habet obedientiam.

Secundò poterant instare, non ubique prædicatum esse Evangelium, ac proinde causam damnationis plurimorum residere penes Deum. Respondet Apostolus per inficiationem, confirmatam testimonio Prophetico, Psal. 19. Equidem in omnem Terram exivit sonus Apostolorum & in fines Orbis Terræ verba eorum,

Locus de
invocatio-

Multa sunt, quæ utiliter ex hoc textu tractari queunt, ut de Sanctorum invocatione Papistica & idolatrica, contra fermentum Pseudocatholicæ Ecclesiæ, & de Christi secundum carnem adorati-

fatione religiosa, contra Spiritus dyphosophistici corruptelas, de ne prater-
inani βαττολογία infidelium & impenitentium in fundendis preci- mittitur.
cibus fide vacuis: Sed ea remittentes ad aliorum ἐξηγήσεις, duo
capita breviter tantum perstringemus, ne nimium pagellæ cre-
fcant, de legitima missione eorum, qui sunt Euangelii præcones,
tùm de origine & causis fidei.

De Ministrorum verbi missione.

I.

Missionem vocamus legitimam cum docendi potestate ab-
legationem. Vel: Missio est opus Spiritus sancti, quo per certas &
idoneas personas vocem doctrinæ cœlestis annunciari curat homi-
nibus, ut à peccatis conversi pœnitentiam agant, & salventur.

II.

Mittens est Deus ipse, qui operarios in messem suam extru-
dit, Matth. 10.

III.

Personarum, quæ ad docendum missæ sunt, una est domina,
reliquæ sunt ministræ. Primus & præcipuus Ecclesiæ doctor est
Iesus Christus, missus ex sacrosanctæ Trinitatis decreto, ut Euan-
gelium ex sinu Patris proferat: Et hic ab initio locutus est patri-
bus, Gen. 3. Ioh. 1. Esa. 60. Deut. 18. Act. 3 & 7. Ioh. 5.

Christus à
Deo missus

IV.

Ministrantes personæ sunt partim extraordinariæ, partim or-
dinariæ. Cùm enim ministerium ordinarium in Ecclesia vel quie-
scit, vel afflictum languet, vel etiam extinctum est, consuevit De-
us angelorum ministerio in proponenda doctrina cœlesti uti: Ita
lex lata per operationem angelorum, Act. 7. Gal. 4. est sermo di-
ctus per angelos Heb. 1. ita nonnunquam singuli, interdum plu-
res de præcipuis fidei articulis concionati sunt, ut Mariæ virgini de
nascituro, & pastoribus de nato, mulierculis de resuscitato, disci-
pulis de glorificato, & ad iudicium extremum redituro Iesu
Christo.

Angelicū
ministeriū

V.

Nunquam verò legitur Dominus docendi partes deman-
dasse diabolo, mendaciorum architecto, ne videlicet veritas divi-
næ vocis fraudibus Satanicis adulteretur, neve assuescerent homi-
nes voluntatem Dei à diabolo petere. Quare cùm angelicæ reve-
lationes jactantur sine miraculorum documentis, diabolicas il-
lusiones esse certum est.

De fraudi-
bus Satana
superiori
anno in vi-
cinita con-
cionantis

Ordi-

VI.

Ordinariae verò Personae ministrantes, quarum opera Deus in propaganda caelestis doctrinae voce utitur, sunt homines, 2. Cor. De anima-5. 1. Cor. 3. Non sunt, igitur audiendae defunctorum animae vel rum appa. Spiritus, earum nomine se venditantes, ex quorum revelationibus ritionibus & figmentis natum est Purgatorium.

Vide Dial.

Gregorii Magni.

VII.

Homines porro alii mittuntur à Deo immediatè, alii mediata: Illorum in censu sunt plerunque viri, ut Prophetæ & Apostoli, nonnunquam etiam feminae, ut Mirjam, Debora, Olda, Anna: Mediatè vocantur quotquot per hominum aliorum iudicium legitimè eliguntur, & ministerium suscipiunt: Et hanc vocacionem divinam esse, docet Apostolus, Act. 20. dum Ephesinae Ecclesiae presbyteros Apostolorum, aliorumve doctorum iudicio Electos, à Deo in officii Episcopalis dignitate constitutos fatetur.

Mediata vocatio est divina.

VIII.

Porro per quos fieri debeat mediata ministrorum vocatio, saepius in Ecclesia & dubitatum & certatum est: Rapiantibus hanc potestatem ad se partim Ecclesiasticis, partim Politicis. Extra controversiam est, potestatem hanc Ecclesiae competere.

IX.

Sed in vocabulo Ecclesiae notanda est ambiguitas, quae saepe magnas rixas peperit: Multi enim existimant, hac voce notari quemlibet cœtum, qui idem frequentat templum, seu cujuslibet παροικίας auditores in oppidis & pagis. Quo prætectu legitimum vocandi ministros verbi modum evertere, & dominatum in eosdem ad se transferre conantur.

De vocabulo Ecclesiae.

X.

Ac verum sanè est, quamlibet congregationem, quinque, decem, centum, plurimum, aut pauciorum hominum esse, & vocari Ecclesiam, Sed utrum in propositione: Ecclesia habet jus vocandi, vox Ecclesiae ita accipi debeat, quæstio est. Ut enim absurdum foret, intelligere per eam totum illud corpus per universum terrarum Orbem distributum, cuius caput unicum est CHRISTUS: Ita non minùs est ineptum, ejus vocis prætectu ad quemlibet rusticorum, civium aut aliorum cœtum hoc jus transferre, quod seditiosos rusticos quondam fecisse, primus illorum articulus ostendit.

Tom. 2. Viteber. fol. 75.

Quare

XI.

Quare cum Ecclesiae jus vocandi tribuimus: tres hominum ordines, quorum in electione ministri alicujus Evangelici concurrere debent, vota & judicia simul complectimur, nimirum Presbyterium, Magistratum & populum. Quo ordine verò audiendae sint sententiae, & quae sint singulorum partes, prolixioris est disquisitionis, quam aliò remittimus.

Tres hominum ordines in Ecclesia.

XII.

Impia & intolerabilis est Pontificis Romani tyrannis, qua jus Ecclesiae sacrilega audacia ereptum transtulit in se unicum, idque per suos vasallos, ac totam illam unctorum & rasorum cohortem administrat. Ministerium enim Evangelicum est Ecclesiae Christianae beneficium, non Papae privilegium aut famulitium.

XIII.

Mittuntur autem ministri Ecclesiae ad omnes ubique gentium & terrarum populos, Marc. 16. Ite in Orbem universum. Act. 1. Praedicate incipientes ab Hierosolymis usque ad fines Terrae. Act. 17. Deus annunciat omnibus ubique hominibus, ut poenitentiam agant.

Quibus mittatur ministri.

XIV.

Et quod Apostolis fuit mandatum, id ab eisdem praestitum fuisse testatur hic textus, Prophetico testimonio Psal. 19 munitus, quòd nimirum in omnem Terram sonus seu virgula Apostolica & norma doctrinae exierit, Col. 1. Evangelium fructificat in toto Mundo.

XV.

Vocatio itaque hominum ad Evangelii agnitionem universalis est, etsi non semper actu ubique docetur Evangelium, quod fit ex justo Dei iudicio, praecedentem hominum impietatem vindicante, Amos 8. Immittam illis famem non panis, sed verbi.

Vocatio universalis.

De causis fidei.

I.

Finis missionis & praedicationis est, ut per ministerium verbi auditores conversi ad Deum credant & salvi fiant.

II.

Non est enim inane verbum, sed efficax, majorem quovis ancipiti gladio penetrandi vim obtinens. Heb. 4. Nec redit ad Deum vacuum, Esa 55. eaque ceu malleus conterit, & tanquam ignis

Contra Syvenckfeldii somnia.

C

gnis calefacit, illuminat, & coelesti ardore accendit, Jerem. 23.
v. 19.

III.

Fides itaque non ex naturalibus notitiis aut Philosophicis principiiis petenda est, cum ea vel in universum, vel certè maxima ex parte cum plerisque articulis fidei pugnent.

IV.

Neque expectandi sunt Enthusiastici raptus ad accendendam fidem, vel somnia θεόπνευστα, qualia jactitârunt quondam Anabaptistæ.

V.

*Ex prædicatione
Legis non
accèditur
fides.* Verùm fides ex auditu est, non cujusvis rei, sed verbi Dei: Et quidem non Legis, quæ non est ex fide vel secundum fidem: Neque enim per ejus prædicationem accenditur fides, Gal. 3. sed Euangelii.

VI.

Quando igitur sonat Euangelii vox de Iesu Christo Salvatore, ejusque beneficiis, tum Spiritus S. per eam est efficax, & accendit lucem fidei, qua mens verè agnoscit Deum, & credit promissionibus Euangelii, easque ad se applicat.

VII.

Causse fidei. Duæ igitur sunt causse fidem efficientes: Spiritus S. qui est πνεῦμα ac κρείον ἄριστον, dura hominum corda emolliens, cæca illuminans, inimica flectens, mortua in peccatis suscitans: Et verbum, quod ὁ γὰρ λόγος est ἄριστον, quo Spiritus S. tales effectus in homine producit.

VIII.

Ac tantum abest, ut mens & voluntas hominis ex suis viribus ad fidem in cordibus accendendam aliquid conferat, ut Spiritus sancti operationem, quantum in se est, impediant, cum mens cæca in rebus divinis irrideat mysteria religionis ceu stultitiam, 1. Cor. 1. & voluntas averfa & inimica reluctetur.

IX.

*Fides in actu habet
mentis &
voluntatis
actum.* In ipso autem fidei actu seu ἐν τῷ πιστεύειν certum est, mentem hominis actu intelligere, & voluntatem actu velle & obedire, atque sic aliquid agere, etsi omnis illa agendi vis non est ex mente & voluntate, sed ex solius Spiritus sancti efficaci operatione.

X.

Porro quamobrem non omnes auditores Euangelii salven-

tur, hoc loco monstrat Apostolus ex Esaiaë Prophetico testimonio;
quia nimirum non omnes credunt prædicato verbo.

XI.

Ulterius verò quærit humana ratio, quæ fiat, quòd non omnes
credunt? Respondet Apostolus, quia non omnes obediunt Euan-
gelio: vult itaque fidem non ex Dei operantis efficacia, sed ex ho-
minis renati obedientia æstimari.

XII.

At si ampliùs quærat, quare non omnes obediunt, cum ne- *Quare non*
mo ex suis viribus credere & obedire possit: duo opinionum ge- *detur fides*
nera sese nobis offerunt: Alii enim defectum hunc ascribunt vo- *omnibus.*
luntati & operationi divinæ, alii hominibus. Illi negant, ideo
plures converti, quia Deus noluerit plures convertere: Hi affir-
mant: ideo paucos Deum convertere, quia plures nolint converti.

XIII.

Apud Calvinianos quidem extra omnem dubitationis aleam
est positum, Deum nolle omnes convertere, cum non omnes ve-
lit salvari: Quod antecedens cum sit impium & blasphemum, uti
superiori disputatione est probatum: mirum sanè non est, conse-
quens illius pari impietate laborare.

XIV.

Tutissimum sanè est, Scripturam ducem hac in parte sequi, *Culpa in-*
ita enim minimè erratur. Ea verò culpam incredulitatis nunquam *credulita-*
in Deum, sæpissime in homines rejicit. Luc. 8. Idem semen con- *tis non est*
jicitur in agrum diversum; sed quòd fructum non fert eundem, *Dei.*
neque seminantis, neque feminis est culpa. Luc. 13. v. 34. Quoties
volui te congregare, & noluisti. Esa. 65, v. 2. Tota die expandi
manus meas ad populum non credentem mihi.

XV.

Culpa igitur incredulitatis, quæ in maxima auditorum ver-
bi multitudine cernitur, non est transferenda in Deum aut verbum;
Sed propria est hominis tum innata malitia alieni à Deo, tum
spontanea petulantia, vel negligentis verbum, vel opponentis se
operationi Spiritus sancti.

XVI.

Neque est hæc sententia obnoxia Synergismo; Cum non, *Contra fal-*
quid voluntas agat, ut obediat, sed quid agat ne obediat, dicatur. *sorum fra-*
Ut enim in illo est otiosa: Ita in hoc admodum est negotiosa. Sic *trum calu-*

C 2

denique *mniam de*
Synergie,
simo.

denique fugienda est Charybdis Synergismi, ne in Scyllam Calvinismi præcipiti impetu feramur.

Quarta pars.

*Invidia
alienæ sa-
lutis.*

Sub finem capituli decimi attexit Apostolus tertiam causam, quare Iudæi Euangelium sibi prædicatum non susceperint: Suprà enim duas hujus generis recensuit, nimirum studium propriæ justitiæ, & scandalum ex vili Christi persona acceptum. Nunc tertiam subjungit, nimirum Invidiam alienæ salutis, qua Iudæi, cum viderent gentibus prædicari Euangelium, idque ab eis suscipi, ita accensi sunt, ut æternæ salutis jacturam facere, quàm eandem cum gentibus religionem amplecti, maluerint. Prævidit etiam hunc effectum Dominus & prædixit, Deut. 32. Ego ad æmulationem vos adducam in eo, qui non est populus, in gente insipiente ad iram provocabo vos. Eodem collimat Propheticum Esaiæ testimonium.

Axiomata.

1. Gentium vocatio ad notitiam Euangelii quamvis Iudæis ingrata: tamen divinitus est prænunciata, & opere completa.
2. Invidiam alienæ salutis sancti Patres censent, esse speciem peccati in Spiritum S. cum ea sit propria diaboli.

Dee gloria.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793




Sb.

W19

Hilf.







DISPUTATIO DUODECIMA
EX EPISTOLA PAV
LI AD ROMANOS, PRO

PONENS ἀνέλυσιν CAP. X,
Cujus positiones, divina adju-
vante gratia,

PRÆSIDE DAVIDE RVNGIO,
S. Theologiae Doctore et Professore in Academia
VVitebergensi, in collegio disputationum
Theologicarum privato defen-
det, 2 Octobris,

BERNARDUS VVOLDERUS
Rostochiensis.



VVITEBERGÆ
Excusa typis Simonis Gronenbergii, 1596.

17, 12 13

